



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1618. usque ad annum 1620

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1777**

**VD18 90118847**

§. 8. Pax inter Ferdinandum Bohemiæ Regem & Venetos firmata.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67326](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67326)

Sæc. XVII.  
A. C. 1618.

## §. VIII.

*Pax inter Ferdinandum Bohemiam  
Regem & Venetos firmata.*

*Feveras Hist.  
Hisp. cap. 2.  
tom. II.  
Maurer re-  
lat. Hist.  
cont.*

Pactis anno priori induciis eo major affulgebat firmæ pacis fiducia, quo magis periculosas turbas A catholici in Bohemia contra Cæsarem, legitimumque Regem concitare videbantur: Eam ob causam Mathias Imperator concordiam Ferdinandum inter & Venetos maturare, toto studio adlaborabat: Obstabant tamen Veneti, quibus articulum de reddendis navibus fuisse neglectum displicuit, cum vero summus Pontifex, & Cosmas Magnus Etruriæ Dux pro conciliandâ pace partes suas interponerent, mox nomine Ferdinandi Bohemiæ Regis Baro de Harrach, & Jacobus Eldingus, a Veneta vero Republica Hieronymus Justinianus, & Antonius Priulus, eo autem in Ducem electo Nicolaus Contarinus in Veglia Insula convenere, de exequendis concordie articulis deliberaturi. Complantatis igitur omnibus, quæ adhuc obstare videbantur, cuncta olim Madriti proposita pacis capita utrinque in effectum deducta fuere, ac præprimis Segna seu Zenga Uscochorum Metropolis Germano milite præfidiario munita, mutuum

cum

cum Venetis commercium denuo resti-  
 tutum, & piratarum centum triginta  
 tres perpetuo multati exilio, incensisque  
 eorum domibus, ac navigiis Uscocho-  
 rum nomen, simul ac diffidii fomes pe-  
 nitus extinctus est. Ut ergo hæc pax  
 omnibus nota fieret, die prima Februa-  
 rij Cæsaris nomine Cleselius Cardinalis,  
 jussu autem Ferdinandi Bohemiæ Re-  
 gis Joannes Ludovicus de Ulm Pro-  
 Cancellarius, præter Ascanium Gesu-  
 aldum Papæ Nuntium, & Julium Me-  
 dicæum Etruriæ Ducis Oratorem, &  
 Georgium Justinianum Venetorum Le-  
 gatam Neostadii convenere, quibus  
 præsentibus omnes Madritensis pacifi-  
 cationis articuli palam prælegebantur,  
 ac solemnè promulgatione facta utrinque  
 rati habebantur.

Sæc. XVII.  
 A. C. 1618.

§. IX.

*Comitia Hungarica Posonii celebrata.*

Promota concordiæ stabilitate Ferdi-  
 nandus Bohemiæ Rex die decima  
 nona Martii Posonium ad Hungariæ  
 comitia contendit. Erant ea ibidem  
 eo fine indicta, ut de querelis subinde  
 expositis tandem in Regno abrogandis,  
 necnon de novo Rege, qui defuncto  
 aliquando Cæsari succederet, eligendo  
 ageretur. Postquam igitur Ferdinan-  
 dus

Arth. Dan-  
 tisc. tom. 12.  
 lib. 2.